

P. II. Cap. V.
de Versione
Vulgatæ La-
tina.

missime etiam aliter habere, quam Hieronymus in Opp. suis cen-
suit vertendum. Atque hoc ipsum cum primis, Hieronymum
Vulgatæ autorem esse, non patitur, quod 2. versio illa in utroque
Instrumento multo legit aliter, quam Hieronymianæ ferunt emen-
dationes. Sic v. g. in *question. Hebraic.* corrigit Hieronymus illa:
Et Spiritus Dei ferebatur super aquas Gen. I, 2. Pro eo, inquit, quod
in nostris codicibus scriptum est, *ferebatur*, in Hebræo habet *סרחה*,
quod nos appellare possumus, *incubabat*, sive *confovebat*, in similitudi-
nem volucris, ova calore animantis. Vulgata tamen Latina, illud *fe-
rebatur*, adhuc hodie tenet. Gen. III, 8. legit Vulgata: *ad auram
post meridiem*, Hieronymus vero vult legendum: *ad vesperam*, ad-
dens: *in plerisque codicibus Latinorum, pro eo, quod hic posuimus, ad
vesperam, post meridiem habetur.* Ibidem, comm. 14. Vulgata: *Et
terram comedes*, Hieronymus: *pro terra*, *עפר* scriptum est, quod *favil-
lam* possumus dicere *Et pulverem.* In vexatissimo loco Gen. III, 15.
Vulgata constanter legit: *Ipsa conteret caput tuum, Et tu insidiabe-
ris calcaneo ejus*, Hieronymus habet: *Ipsæ conteret caput tuum, Et tu
conteres caput ejus.* Gen. IV, 4. legit Vulgata: *Et respexit Dominus ad
Abel, Et munera ejus*, Hieronymus autem Theodotionis versionem
præfert, qui vertit: *Et inflammavit Dominus super Abel, Et super
sacrificium ejus, Et c.* quam ut tueatur versionem, addit: *Ignem ad
sacrificium devorandum solitum venire de cælo, Et in dedicatione
templi sub Salomone legimus, Et quando Elias in monte Carmelo con-
struxit altare.* Et sic in Novo Test. pro eo, quod Vulgata ho-
die habet 1. Cor. XIII, 3. *Si tradidero corpus meum ut ardeam*, le-
gi vult Hieronymus, *ita ut gloriar?* Quæ pro specimine suffi-
ciant. Infinita enim ejusmodi exempla, in quibus aliter Vul-
gata legit, quam legi vult Hieronymus, ex Commentariis ejus
colligere licet: & quod ad Nov. Test. attinet, in suis in Epi-
stolas ad Galatas, Ephesios, Titum, &c. commentariis passim
reprehendit & corrigit lectionem hodiernam Vulgatæ. Deni-
que 3. habemus hodie in Opp. Hieronymi versionem Psalmo-
rum, recens ab ipso adornatam, quam a Vulgata multum rece-
dere, ocularis inspectio docet. A seipso itaque cum adeo dif-
ferentem & diversum Hieronymum dicere non liceat, auto-
rem Vulgatæ credere eundem profecto non possumus, cujus le-
ctionem toties carpit, perstringit & emendat. III. Si